

# CUM DEO

§. 1.

**Q**uanto latius argumentum nostrum diffusum est, verba  
verò pauciora esse debent, tanto magis abstinentia  
nobis à præfatione esset, nisi admoneret Divino Numini  
debita invocatio. Deum igitur, primum Actum fon-  
temq; secundorum, oramus obtestamurq; ut cuius in re ipsâ causa  
est, ejus quoq; in nostrâ cognitione suscitator esse velit, ne qvi-  
quam cuiquam nisi ipfi bonitatis debeamus.

§. 2. Ante omnia autem statum quæstionis excutiemus.  
Acturi igitur sumus de Principio Individui, ubi & Principium &  
Individuum variè accipitur. Et quod Individuum attinet, quem-  
admodum universale, sic ipsum quoq; vel Logicum est in ordine  
ad prædicationem; vel Metaphysicum in ordine ad rem. Atq; sic  
rursum aut prout in re est, aut prout in conceptu, seu ut alii ex-  
primunt formaliter aut fundamentaliter. Et formaliter vel de in-  
dividuo omni vel creato tantum vel substantiâ tantum, vel sub-  
stantia materiali. Principii quoq; vox notat tum cognoscendi  
principium, tum essendi. Essendi internum & externum. Qvare  
ut hæc colligam, agemus de aliquo reali, & ut loquuntur principio  
Physico, quod rationis individui formalis seu individuationis, seu  
differentiæ numericæ in intellectu sit fundamentum, idq; in indi-  
viduis præcipue creatis substantialibus.

§. 3. Qvoniam verò, ut attritu silicis scintillæ emicant; ita  
commissione sententiarum veritas detegitur, age primum eas  
digeremus. Sunt autem duo genera opinionum; alii hypothe-  
ses habuere ad omnia individua applicabiles, ut Scotus; alii secus,  
ut Thomas, qui in corporibus materiam signatam, in Angelis eo-  
rum entitatem principium posuit. Nos qvoniam hic abstrahe-  
mus à substantiâ materiali & immateriali, speciales opinions a-  
liò tempore consideraturi, nunc generales tantum excutiemus.  
Quas præcipue quatuor numerare licet. Aut enim Principium

A 2

Indi-